



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus XLII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

Illud igitur illi in culca. *Deum time & mandata ejus serua. Hoc est omnis homo.* Non rejecerim tamen, illorū quoque Politicorum, civilem sensum, qui explicaturi, quid sit *omnis homo*, ajunt illum esse, qui sit aptus ut proverbium est, *Et ad chorum & ad forum.* At quis talis est? iterum ingemino. *Deum time & c. hoc est omnis homo.* Et ad chorum & ad forum. Vis Magnos Sacerdotes, Episcopos, Archiepiscopos, cogita sincerissimos Dei cultores, Aarones, Samueles. Vis magnos Domus Governatores? cogita piissimos Tobias. Vis magnos Judices, Duces, Principes? Cogita Deo obsequentissimos, Moysen, Josua, Samsonem, Gedeonem, Davidem. Ecce quemadmodum pietas ad omnia est utilis, & quomodo timentes Deum, valent, & ad chorum & ad forum, ac quomodo viri pii sunt *omnis homo*. Tales, ut plurimi juvenum evaderent, præivit Christus exemplo, primumque iter ad templum suscepit, quatenus eo comitatu servatorem, Parentes, filios suos deducerent. Memento igitur *juvenis Creatoris tui in diebus juventutis tue, antequam veniant dies afflictionis Eccl. 12. & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent. & c.*



MODUS XLII.

PROPOSITIONE ut alias præfixa, una tantum, propositionis ratio Principalis assumitur: quæ rationibus minus Principalibus probata, confirmata, exculta, Orationem constituit.

P PRA-

P R A X I S.

In Fefto S. Michaelis Archangeli.

Quis putas major est in regno calorum. Matt. 18.

Accessus & Propositio. D. Michaellem, Chri-
stiani populi Principem, & Angelorum Du-
cem consentiens veneratur Ecclesia. Superfluum
igitur est, inquirere an ad præditam interrogatio-
nem. *Quis putas, major est in regno calorum?* respon-
deri debeat. Talem esse D. Michaellem Archange-
lum: quin potius videamus, quemadmodum glo-
riofissimum hoc insigne, Majoris, seu Ducis, obti-
nerit

Ratio propositionis principalis, quæ pro-
bata confirmationem & orationem totam
constituit, quia obtinuit pro eximiis,
meritis, hanc digni-
tatem.

Non una manu honorum titularumq; insignia
porriguntur. Præbet illa interdum favor, donat in-
terdum gratia, mercatur pretium, rapit ambitio.
Absalon favore populi regnum occupavit 2. Reg.
15. Jason emit Pontificatum 2. Maccab. 4. Baasa
3. Reg. 15. Zambri 3. Reg. 16. seditione Principa-
tum invalere. Absit ut hi, aut similes gloriosè titu-
los & dignitates suas obtinuisse censeantur. Humi-
liter atque ingeniosè caput orbis D. Gregor. E-
pist.

pist. ad Imperatricem, de sui in Pontificatum electione. *Ecce serenissimus Imperator, fieri Simianus, Leonem, iussit: & quidem provisione illius, vocari Leo potest, fieri autem Leo non potest.* Verè, quicunque alia quàm meritorum via dignitates adipiscuntur: vocari quidem Magni ac Maximi possunt, fieri non possunt. Taliùm tamen plena sunt Mundi Regna; nemo autem esse potest, apud Judicem ac arbitrum Deum. Sola ibi merita coronantur, solæ virtutes, præmia, honores & dignitates capesunt. Unde Apocal. 2. *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum, scilicet honorum & dignitatis.* Longe ante Psaltes 61. *semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia reddes unicuique secundum opera sua.* 2. ad Timoth. 3. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Atque hæc via est, via Regia, via gloriosissima, ad titulos atque honores: quod rectè sentiens Alphonsus Aragoniæ, cum, non nemine virtutes Nicolai Pecenini laudante, alter respondisset. Hæc omnia valitura aliquid, nisi Nicolaus, Lamoni esset filius subjunxit. At qui ego, malle esse Peceninus, quam nonnullorum Regum filius: notans eos gloriosissime Magistratus occupare, qui non genere suffragante, aliisve artibus, verum virtutibus ad eos promoverentur. Sed quid humanis immoramur, cum ad sublimissima D. Michaelis merita, spectanda provocemur Apocal. 12.

Factum est praelium magnum in Coelo. Michael & Angeli ejus praeliabantur cum Dracone. En campum, en merita, gloriosissimi Archangeli, pro Deo, contra rebelles spiritus decertantis. Expende illud *praelium magnum*, ut intelligas res ingentes à Michaelle gestas, & illud, *Michael & Angeli ejus* ut agnoscas Michaellem, fuisse aliis Principem, subjiciendi se creatori suo. Michael, interpretatur, *Quis ut Deus?* Pulcherrimè concordat nomen cum factis, inclamat Rebellis princeps. *Ero similis altissimo.* Reclamat Michael. *Quis ut Deus?* Attollit ille folium, super nubes, Demittit se Michael, infra Dei pedes. *Quis ut Deus?* Occupare ille satagit sedem summam, & ponere super Aquilonem. Avocat Michael animum suum & sociorum ab impia ambitione. *Quis ut Deus?* Robur ille suum æstimat; Michael potentiam Dei veneratur. *Quis ut Deus?* Dignitatem ille suam metitur. Michael Dei Majestatem. *Quis ut Deus?* Deum ille hominem adorare repugnat. Michael, in infirmitate carnis, Divinitatem latentem adorat. *Quis ut Deus?* Grande bellum non armorum, sed animorum? in quo merito illud quoque advertas, quia sicut dicitur. *Factum est praelium magnum*, ita ut eidem attribuitur, quod, *factum est silentium magnum*, cum Michael præliaretur &c. At quomodo conveniunt prælium, & silentium? silentium est indicium attentionis, reverentię, timoris, admirationis. Regnabat ergo & filebant, in furiis vesani, in silentio ad robur Michaelis, attoniti. *Quis ut Deus* Pugnabant & filebant in bello effrenes, in silentio, Magnitudi-

nis Divinæ, in Michaele sese ostentantis, reverentes. Quis ut Deus? Pugnabant & filebant in aëre tumentes, in silentio humiliationis per Michaelem superventuræ, conscii: Quis ut Deus? Pugnabant & filebant in sui dejectione irati & frendentes, in silentio, munera, & honores amplissimos divo duci, à Deo collatos admirantes: Quis ut Deus? cum scilicet Michael, Dux Magnus, Archangelus, Princeps, Præfectus Hierarchiarum cælestium. Præpositus animarum, Defensor universalis Ecclesiæ pronuntiatus, adeoque dignus habitus, qui Dei personam, & nomen, vicariè gereret, ut deinceps patuit; cum tradens tabulas Moyfi dixit. *Ego sum Dominus Deus tuus* quæ verba attribuit Angelis D. Paulus ad Galat. 3. 19. & interpretes de Divo Michaele intelligunt, apud Corn. Est igitur, cur illi, tantam dignitatem ex merito acquisitam, gratulemur, & nos ejus patrocínio commendemus, atq; virtutes imitando, magis quam quæstionibus urgendo, quis porro sit Major in Regno cælorum, intelligamus.



MODUS XLIII.

Per revictionem & assertionem
causarum.

PRimum propositionis præfixæ illæ, causæ red-
duntur, quæ aut non sunt ejus causæ, aut tan-